



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicae, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Via Lactea Sive Institutiones Iuris Canonici

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Tit. XVIII. De Construendis, consecrandis, & reparandis Ecclesiis, & Alteribus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94613](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94613)

quitur, *cap. Cum magno. Ne Cler. vel Mon. cap. Si dicat. 33. q. 5.* Quare colligas, quod si desit animus, & propositum secus est. *J. Diversa, h. r. cum simill.* Et e contra si adsit animus, licet non sequatur effectus, iste animus punitur: & per hoc si infidiatur alteri coniugi, & supervixerit is, ad secundas nuptias nunquam poterit convolare, quod procedit etiam in incestuosus, *cap. 1. & per tot. de Eo, qui cogn. consang.* Verumtamen si isti contrahant, valet Matrimonium, *cap. Transmissa, d. 1.* Hoc idem in Interfectores Sacerdotum, qui nunquam possunt contrahere Matrimonium, *cap. 2. de Penit.* Et hæc est decisio. *J. Sedenti machinationem, hoc tit.* Sunt & alii casus similes, qui not. in *d. c. 2. de Penit.* & explicantur in dictis meis Decisionibus de *Matrim. Decis. 25.* in qua de criminibus dirimentibus Matrimonium exacte tractatur.

Pro corollario nota: Quod de Jure Canonico absque timore infamiae, si nulla alia causa impediatur, licitum est transire ad secundas nuptias intra annum luctus, contra Leges Civiles in *l. Confessus, J. Si vero, c. de Repud. l. Liberos, J. 1. ff. De his, qui not. infam.* Et hoc deciditur in *J. Illud, hoc tit. cap. penult. & fin. de Secund. Nupt.* Qui rex, secundum Joannem Andream, & Abbatem in *d. cap. fin.* corrigunt omnes Leges Civiles, quæ ex aliqua causa impediunt Matrimonium, ut est titulus *Cod. de Prohibit. Matrim. in pupill. & c. & c. Si Rector Provincia: & de hoc vide Gloss. hic in Verb. abolita.*

In fine nota, quod his, qui transit ad Bigamiam, non debet à Presbytero benedicere, quod procedit etiam si consuetudo loci sit in contrarium; ut per Gloss. in *Verbo iterari.*

Quod ad Ultimum. Divortii effectus potest esse simplex separatio thori, ut scilicet ambo conjuges possint vivere sine peccato. Alter est effectus, quod illud Matrimonium, quod de facto processit, cum consistere de Jure non possit, nullum reddatur, & conjuges solutos pronunciet. Ita not. in *Rubr. extr. eod.* Alius effectus est, quod si Matrimonium separatur propter unam ex illis causis, quæ perpetuo impediunt, conjuges possunt ad nova conjugia transire; ut in supradictis colligitur.

TIT. XVII.

De Rebus Sanctis, Sacris, & Religiosis.

IN principio hujus secundi Libri in Titulo de *Rerum divisione* diximus inter res spirituales, quæ corporales existunt, connumerari Sacramenta, Res Sacras, Sanctas, & Religiosas. Hucusque egimus de Sacramentis, nunc differendum est de *Rebus Sanctis, Sacris, & Religiosis.* Et pro hujus tituli expeditione videbimus:

1. Quæ dicantur Res Sanctæ?
2. Quæ Sacra?
3. Quæ Religiosa?
4. Quibus sufficiantur hæc omnes Res?

Quod ad Primum. Res Sanctæ secundum proprietatem verborum à Juris Civilis dispositione dicantur illæ, quæ immunes esse debent à quacunque hominum facultate, & quocunque commercio, ob poenam sanctionis contra violantes. *J. Sancta, Instit. de Rerum divis.*

Quod ad Secundum: Res illæ Sacrae appellantur, quæ sunt ad divinum cultum rite consecratae, & Altissimo per habentem auctoritatem di-

catæ: *J. Sacra, Instit. de rer. divis.* Cujusmodi sunt Ecclesiae, Altaria, Calices, & hujusmodi alia. Verum quamvis ista verba inspecta origine inter se valde diversa sint, nihilominus sapissime aliud pro alio sumitur, ut in locis allegatis, & allegandis.

Quod ad Tertium. Per idem Jus antiquum Res Religiosæ illæ dicebantur, quæ humana corpora continebant, dictæ Religiosæ à relegando, vel relinquendo. *J. Religiosum, Instit. de Rer. divis.* Hodie verò res Religiosæ possunt dici illæ, quæ ad pios cultus, ad pias causas destinatae videntur, & personis religiosis inserviunt, ut sunt Domus religiosæ, Xenodochia, Coemeteria, & Sepulturae, Orphanotopia, & alia hujusmodi, *c. 1. cap. 2. extr. de Relig. Domib.*

Quod ad Postremum. Omnia bona ista sunt ejus naturæ, ut in nullius bonis existant. *J. Nullius, Instit. de Rerum divis.* Et hinc est, quod alienari non possunt, nisi quibusdam adhibitis solemnitatibus, cum causæ cognitione: scilicet ut Prælatus Superior expendat, num alienatio expediat Ecclesiae, nec ne? Deinde Decretum Prælati; tertio consensum totius Cleri, seu Capituli, *c. Tuum. 12. qu. 2. Abb. in cap. Statuimus, de Transact.* & quando Sacrae esse desierint. Attamen quod ad administrationem subjiuntur potestati, & regimini Ecclesiasticarum personarum, & præcipue subjiuntur Summi Pontificis administrationi, in regione cujusque loci. *cap. 1. 2. & 3. extr. de Relig. Domib.*

TIT. XVIII.

De Construendis, Consecrandis, & Reparandis Ecclesiis, vel Altaribus.

CUM inter ea, quæ Sacra existunt, Ecclesiae, vel Altaria primum sibi vindicent locum, idcirco de his nunc differitur; & pro tituli enucleatione videbimus:

1. Quid Ecclesia nomen hic significet?
2. Quid nomine Altaris contineatur?
3. Quid sit Ecclesiam construere?
4. Quid reficere?
5. Qui possint Ecclesias construere, reficere, vel consecrare?
6. Ex quibus causis Ecclesia constitui possint?
7. Quæ sint servanda in Ecclesiis construendis?
8. Quo tempore Ecclesia sint consecranda, & quod Altaria?
9. Quibus ex causis non sit consecranda Ecclesia?

Quod ad Primum: Ecclesiae nomen æquivocum est, ut hic in princ. & per Gloss. hic in *Verb. Templum Dei.* Accipitur enim pro Christianorum multitudine, fideliumque congregatione: sed in nostro Titulo Ecclesiae nomen præfertur locum, in quo Sacrificia celebrantur, & sacra Deo peraguntur. *rex. est hic in princ. & in c. Ecclesia, de Consecr. d. 1.*

Quod ad Secundum. Altaris nomine significatur locus ille in Ecclesia eminentior, in quo Altissimo Sacrificia offeruntur, & sacra peraguntur. Ita notatur in *Rubr. extr. eod. de Consecr. Ecclesia, vel Altaris.*

Quod ad Tertium. Ecclesiam construere nihil aliud est, quam Templum à fundamentis erigere, quod ante non fuit, *c. 2. extr. de Eccl. adific.*

Quod ad Quartum. Reficere Ecclesiam nihil est aliud, nisi Ecclesiam collapsam ad pristinum statum restituere, vel collabentem emendare, *c. 1. de Eccl. adifican.* & notatur in *Rubr. ejusd. Tit.*

Quò ad Quintum. Illud indubitabile est, Episcopum posse Ecclesiam consecrare, *c. 1. de Consecrat. d. 1. §. Esi dubitetur, hoc tit.* Sacerdotes autem non possunt nec Consecrationes, nec Ecclesiarum reconciliationes facere, *cap. Aqua, de Consecr. Eccles. §. Confici, hoc tit.* Construere autem Ecclesiam quilibet etiam privatus, etiam femina potest, dummodò concurrat Ordinarii assensus, *cap. Unicuique, c. Clericos, c. Si quis, de Consecr. d. 1. c. 18. q. 2. c. Religiosam. 12. q. 2. §. Quamcumque hoc tit.*

Quò ad Sextum. Non debent Ecclesie in præjudicium antiquæ de novo constitui, nisi ex quatuor causis. Ob incrementum populi. Commoditatem plebium. Vel certæ Universitatis intuitu. Aut ob Pastoralis dignitatis obsequium.

Ob incrementum populi tunc nova construenda est Ecclesia, cum certis in Regionibus adeò multitudo fidelium excrevit; ut illorum curæ una sit impar Ecclesia. *§. Ob incrementum, h. tit. cap. Præcipimus, & cap. Multis, 16. q. 2.* Qua de causa etiam Ecclesie possunt dividi. *§. Sicut, hoc t. d. c. Præcipimus.* Et hic nota, quod plures Baptismales Ecclesie sub eadem terminatione non possunt constitui, idest quod intra eosdem terminos sint duæ Ecclesie Baptismales, in quibus promiscuè populus baptizari possit. *§. Plures, h. t. facit, cap. In apibus. 7. q. 1. & c. Quoniam, de Offic. Ordin.* Et si de terminatione duarum Matricium Ecclesiarum contentio fuerit, plebes utrarumque discernent, *d. §. Plures.* In hoc tamen est necessaria Superioris auctoritas, *c. de Cetero, & c. Statuimus, de Transactione, c. Per tuas, de Arbitr.* Laicus enim non posset esse Iudex in hoc casu, cum agatur de Re Spirituali, *c. Decernimus, cum seqq. de Iudic.* Quod si non convenerint, forte dividatur, *d. §. Plures, in fin.* Sortibus enim Dei voluntas ostenditur, *cap. Sors, 26. q. 2.*

Ob plebis commoditatem tunc dicitur constitui nova Ecclesia, cum Parochianorum pars adeò distat à veteri, ut certis temporibus, non sine magna difficultate, & periculo illam adire, & ibi congruis temporibus divinis interesse, & Sacramenta percipere possint, *c. Ad audientiam, §. Plebium, h. t.* Et hoc quidem casu nova Ecclesia subijcitur Matrici Ecclesie, idest, Ecclesie baptismali, per *c. Ex transmissa, de Renunciat. vel Cathedrali, ut per Abb. in c. Fin. de Offic. Archiepiscop.* vel illi Ecclesie, à qua novæ subministrantur necessaria, cum verba sint intelligenda secundum subjectam materiam. Abb. in *c. Venerabili, de Verb. signif.* & debet honorem competentem exhibere, *d. §. Plebium, in fin.* vide Concil. Trid. sess. 21. c. 4. de Reform. & meas Discordias de Benefic. Disc. 89. ubi de requisitis necessariis pro nova Parochiali erigenda.

Universitatis intuitu constituitur Ecclesia, veluti cum plures simul leprosi sub communi vita congregati fuerint, nam his potest nova Ecclesia edificari. *§. Universitatis, h. t. c. Unico, 10. q. 2.* Dummodò velint eam dotare, arg. *c. Nemo, de Consecr. d. 1.* Qui tamen non debent esse injuriosi veteribus Ecclesiis. *§. Cavebunt, hoc tit.*

Ob Pastoralis dignitatis obsequium, & privilegium dicitur constitui Ecclesia, quando Episcopus pro sepultura propria Ecclesiam edificat in sua Parochia. *§. Episcopo, h. t.* Et de hoc plene habetur in *c. pen. de Donat. & c. Bonæ, 12. q. 2.*

Quò ad Septimum. Hæc requiruntur in Ecclesia ædificanda. Primum, ut Episcopus consentiat.

Secundò, ut ipse locum videat. Tertiò, ut Crucem figat. Quartò, ut publicè atrium designet. *§. Quamcumque, c. Nemo, de Consecr. d. 1.* Et tanta debet esse Dos, quæ sufficiat ad luminaria, & ad vitam Ministrorum, *cap. Pia mentis. 16. q. 7. & in præd. c. Nemo.* Et Ministri debent esse duo, vel tres, *c. Proposuit. ext. de Fil. Presbyter. c. Hoc quoque, de Consecr. d. 1.* Sed hoc quod dictum est de Dote, non habet locum in eo casu, quando ex necessitate constitueretur. Gloss. in *d. §. Quamcumque, in verb. Valeat.* Et circa auctoritatem Superioris, nota, quod id adeò verum est, ut si quis præter Episcopi consensum Ecclesiam construxerit, privatur Jure Patronatus. *§. Diversum, hoc t. c. Cum olim: ubi Abbas de Privileg.* Item & ultimo requiritur, quod construens Ecclesiam non inferat damnum Tertio; namque hoc casu poterit ei nunciare novum opus; & si post nunciationem ædificaverit, tunc quod ædificatum erit, suis expensis erit destruendum. *§. Sed si quis, h. t. cap. 1. & 2. de Novi oper. Nunciat.*

Quò ad Octavum. Quolibet die potest fieri consecratio, & ædificatio, *cap. Tua, de Consecr. Eccles. vel Altar. d. §. Confici.* Et dies Consecrationis, & dedicationis singulis annis est celebrandus. *§. Solemnitates, h. t. c. Solemnitates, de Consecr. d. 1.* Altaria autem quæ consecranda sunt, debent esse lapidea, *c. Altaria, de Consecr. d. 1.* Nec obstat locus Exodi, ubi Dominus præcepit fieri Altaria in lignis Setim c. 38. quæ incorruptibilia sunt. Et Salomon fecit Altare aureum, nam illa facta sunt in figura. Item Altaria dedicanda, seu consecranda non sunt sine reliquiis, *c. Placuit, de Consecr. d. 1.* Et hic nota, quod diruto Altare, vel aliquo modo contracto, seu diminuto, Ecclesia non est iterum consecranda, sed Altare tantum. *§. De eo, h. t. c. 1. Quod in dubiis, c. Ligneis, eodem.*

Quò ad Ultimum. Ecclesia consecrari non debet, ubi Paganus sepultus est, antè extractionem ipsius, *c. Ecclesia, de Consecr. d. 1.* Item ita vitur in Hæretico, & Judæo. *ead. d. c. In aliis, c. Ecclesiam.* Idem intellige de Excommunicato. *§. Sed si Ecclesiam, h. t. c. Consulisti. De Consecrat. Eccl. vel Altar.* Verum si ossa infidelium non possunt discerni ab ossibus fidelium, neutra sunt ejicienda, *cap. Sacris, sup. de Sepult.* Et quando infideles ejiciuntur, tunc in consecratione Parietes, & Signa debent radi: Et ejectio corporum fit auctoritate Episcopi, vel Principis, *l. Ossa, ff. de Relig. c. Corpora, de Consecr. d. 1. §. Illud, hoc tit.*

Sed quid dicendum de muliere prægnante? Circa quam dicas, quod secundum quosdam potest sepeliri, quia foetus est pars viscerum, *l. 1. §. 1. ff. de Ventr. Inspec.* Attamen consuevit sepeliri, & foetus extrahi, & seorsum sepeliri, *d. cap. Sacris, & notatur in d. c. Ecclesia, de Consecr. d. 1.* Item quando Ecclesia est semel consecrata, non debet amplius consecrari. *§. Ecclesia, hoc tit.* Si cut infans ritè baptizatus, non debet iterum baptizari, *c. Sicut, d. 68. c. Quemadmodum. 32. q. 8. c. Ecclesiis, de Consecr. d. 1.*

Verum quia Ecclesie quandoque reconciliantur. *§. Sed si, inf. h. t.* videamus in quibus casibus fiat reconciliatio? Et sex siquidem assignantur. Primus, cum dubitatur an Ecclesia sit consecrata; nam tunc potest consecrari, & hæc dicitur reconciliatio. *§. Planè, h. t. d. c. Solemnitates, de Consecr. d. 1.* Secundus casus est, cum movetur Altare

Altare Majus. Tertium cum Ecclesia est exusta. Quartus cum parietes sunt de novo funditus reparati. Quintus propter adulterium. Sextus propter homicidium, c. Si motum, de Consecr. d. 1. & c. de Fabric. ead. d.

Addere alium casum, quando est humatum corpus excommunicati. §. Sed si Ecclesia: ubi etiam alii casus enumerantur, hoc t. d. cap. Consultuisti, de Consecr. Eccl. vel. Alt. Unde ex jam dictis colligas, quod non est licitum celebrare, nisi in Templis sic consecratis, cap. Tabernaculum, & c. Missarum, de Consecr. d. 1.

Quod limita in eo loco, qui est de proximo Consecrandus, c. Ecclesia, de Immunitate Ecclesiar. Item hoc non procedit, quando ex privilegio aliud est concessum, & etiam in Casu necessitatis; nam tunc in capellis cum sacra tabula celebrari poterit. Ut est in Oratoriis non consecratis; ut notatur in cap. Concedimus, de Consecr. d. 1. in quibus sine permissione Episcopi non potest celebrari, c. Unicuique & c. Missar. d. ead. 1. Item in itinere constitutus poterit celebrare olim subdiu, sive in Tentoriis; si tamen tabula Altaris, ceteraque sacraministeria adfuerint. §. In itinere, hoc tit. Et notatur in d. c. Concedimus, de Consecr. d. 1. Hodie autem per Concilium Tridentinum sess. 22. in Decreto de Celebrat. Missar. prohibitum est omnibus tam secularibus, quam regularibus celebrare extra Ecclesiam: ut ego probavi in meis Decisionibus De Sacrificio Missar. Decis. 12. à num. 53. & seqq. usque ad num. 66. ubi disputatur, an dentur Casus, in quibus Episcopus possit concedere licentiam, ut Missa extra Ecclesiam celebretur? Et referuntur septem curiosi casus ibi à studioso videndi.

In fine nota, quod quando agitur de reparanda Ecclesia, id oneris procul dubio ad eum spectat, qui possidet Beneficium, c. 1. ubi Abb. eod. cap. fin. De his, qua sunt à major. part. Capit. Et Episcopus pro tertia parte concurrere debet, cap. Prius, 10. quast. 3. cum seqq. Sed de Consuetudine aliud attenditur secundum Innoc. in d. c. fin. & Abb. in d. cap. 1. Et sic absolutus sit iste titulus. Porro, ut bene scias, qui sint obligati ad dictam reparationem? Vide meas Discordias Forenses De Beneficiis. Discord. 44. n. 2. & seqq. & Discord. 99. per totam.

T I T. XIX.

De Unionibus Ecclesiarum.

Quoniam sæpe evenit, ut Ecclesie, quæ sunt constructæ, & consecratæ insimul conjungantur; ob id nunc de ipsarum Unionem differitur. Et pro tituli expeditione videbimus:

1. Quid sit Unio?
2. Quot Unionum species?
3. Ex quibus causis fiat?
4. Qui possint unire?
5. Quæ requirantur?
6. Qui sint effectus?
7. Quando unio solvatur?

Quoad Primum. Unio, secundum materiam tituli nostri, est duarum, vel plurium Ecclesiarum facta connexio. Et dicitur Unio ab uniendo; ex eo, quia plures Ecclesie in unum conjunguntur, ut hic in princ.

Quoad Secundum. Dux sunt Unionum species. Alia Temporalis, alia Perpetua. Perpetua est illa, quæ fit, ut sine præfinitione tempo-

ris perduret. Temporalis, quæ ad certum tempus; ut si ad alicujus vitam instituitur. §. Unionum, hoc tit. facit cap. 1. Ne Sede Vacant. & c. Quoniam, ubi Abb. de Off. deleg.

Quod ad Tertium. Dux sunt causæ unionis; ut in §. Velut, hoc tit. scilicet: Urgens Necessitas, & Evidens Utilitas, c. Exposuisti, de Præben. c. 2. de Reliq. Domib. cap. Et temporis, 16. q. 1. cap. Fin. 2. q. ult.

Necessitas; ut si dux Ecclesie sint adeo pauperes, ut impossibile sit, earum proventus ad victum duorum Sacerdotum sufficere: Aut etiam si alia Ecclesia sit ab hostibus dissoluta, d. c. Exposuisti, & c. 1. Ne Sed. Vac.

Utilitas, ut cum locorum opportunitas id exposcit; vel temporis qualitas; puta quia in illo loco nunc dicatur imminutus Christianorum numerus. Vel ob fructuum tenuitatem non perinde idonei Sacerdotes ad procurandum Beneficium inveniuntur, cap. Et qualitas, & c. Postquam, 16. q. 1. c. Unio, 10. q. 3. Clem. 1. §. Adhuc, de Stat. Monach. Et notatur in Auth. præterea, c. Unde Vir, & Uxor. Et de hoc novissime vide quæ statuit Concil. Trident. sess. 24. cap. 13. de Reformat.

Quod ad Quartum. Unire Episcopatus ad Pontificem spectat. §. Non tamen, hoc tit. cap. Pracipimus, 16. q. 1. & c. Temporis. Minores verò Ecclesie possunt uniri ab Episcopis in suis Diocesis, d. §. Non tamen. Et Concil. Trid. sess. 21. cap. 5. de Reform. Unde inferiores ab Episcopis non possunt facere hujusmodi unionem, c. Si cut unire, De excessib. Prælator.

Quod ad Quintum. Si Episcopus velit unire duas Ecclesias, debet habere consensum Capituli. §. Usque adeo, hoc tit. cap. Pastoralis, de Donat. & Clem. fin. De Rebus Eccles. non alien. Quod secus est in unione facienda à Papa; ut habetur in c. Sicut unire, de Excessibus Prælator. d. c. Pracipimus, & cap. Temporis. Quod si Episcopus velit unire propriæ mensæ Ecclesiam, hoc ei non permittitur, etiam si Capitulum consentiat; Unionem enim utilitas probabilem non recte facit unionis suspensionem ingerit; ita loquitur text. in §. Aliud, h. t. facit, cap. Hic usus, 10. quast. 2. c. Fin. de Instit. Insuper requiritur consensus eorum, qui lædi possent, §. Nec solum, hoc tit. Unde si aut Collegiata, aut Patronata collegiata, aut alicujus suffraganei Ecclesia sit unienda; Collegii Patroni, aut ipsius suffraganei consensus intervenire oportebit: facit c. Rationis, & c. Monasterium, 16. q. 1. Et hic nota, quod si Ecclesie unitæ sint diversarum Diocesium, tunc Jus alterutrius Episcopi inviolatum remanet. §. Sed quæri poterit, hoc tit. c. Cum olim, de Consuetud. c. Ex tuor. de Auctor. & usu pal. c. Licet, de Off. Ord. l. 2. §. Si quis à Principe, ff. Ne quid in loco publ.

Quod ad Sextum. Effectus Præcipuus est, ut sequuta unione legitime facta, ille, cujus Ecclesie fit unio, eandem habeat potestatem, & æquale Jus in unita Ecclesia; ac habeat in prima; & eadem privilegia competunt unitæ, quæ priori competeabant Ecclesie. §. Sequuta, hoc tit. & Abb. in c. 2. de Reliq. Domib. apud quem de hoc videndum est. Et per Caccialup. in suo tractatu de Unionib. octavo Artic. Id tamen est verum, quod in quantum dictum est, unionem fieri de Ecclesiis diversarum Diocesium, hoc hodie non habet locum per Concil. Trid. sess. 14. c. 9. In Decret. Reformation.

Quod